suas promouere posset. Nos itaque visis eiusmodi defectibus, qui in processu contra praefatum Stanislaum Skasewsky obtento deprehenduntur, Supplicationi ipsius annuentes, eidem saluum conductum nostrum a vi et potentia cuiuscunque magistratus regni nostri dari et concedi esse duximus prout iam exnunc damus et concedimus eumque in protectionem nostram Regiam suscipimus ad sex mensium a datu praesenti computandorum decursum quo tempore ille tuto et sine perhorrescentia quarumlibet personarum tam in actione male contra se obtenti processus, quam in alijs causis coram quocunque Judicio et officio tam per se quam per mandatarios suos stare, spatiare, et negotia sua licita, ac honesta tractare poterit, persona rebusque ipsius omnibus sub hac nostra protectione saluis manen. Quod ad omnium quorum interest notitiam deducentes eisdem Mandamus, ne quid per vim contra eundem Stanislaum Skasewsky praetextu condemnationis praefatis attentent sub poenis in violatores salui Conductus nostri legibus sanctis. In cuius rei

MANDATUM AD LUB. CONSULES.

Sigismundus etc. Tertius etc.

Famatis Proconsuli et Consulibus Ciuitatis nostrae Lublinen. Fid. nobis dil. gratiam nostram Regiam Famati nobis dilecti Conquesti sunt apud nos grauiter Religiosi Prior cum toto Conuentu ordinis Praedicator. Lublinen., quod Fid. vrae ab aliquot annis moeniorum Ciuilium reparationem neglexerunt vnde ruina murorum collabentium muros quoque Conuentuales illi contiguos in praeceps trahunt ita vt iam dormitorium et refectorium rimis vndique transpareant, et nisi in tempore huic rei prouideatur timendum est ne propediem totus conuentus corruat. Haec si ita sunt laudare non possumus. debebant enim Fid. vrae pro officio suo correctiones ciuitatis si non augere at saltim veteres conseruare. Quare Fid. vris serio Mandamus, vt easdem ruinas quamprimum ita reficiant, ne quid inde Conuentui praefato damni (aliquin ex priuatis facultatibus vris compensandum) accidat. Pro gratia nostra officijque sui debito etc.

305